



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Vt Praelati jurisdictione sua libere utantur in terminis, eorum jurisdictioni
subjectis. 15

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

*Synodi
Prælati-
rum.*

terminis eorum Iurisdictioni subjectis, Synodum suam (qui ad hoc tenentur) observent per se vel per alios congruis temporibus, ab ipsis Prælati, prout expedire viderint, præfigendis; & quæ corrigenda vel reformanda occurrunt, corrigant & reforment: & omnes in Ecclesia illa & Parochia, in qua Synodus celebranda fuerit, quandocunque eis fuerit denunciata, ad Ecclesiam & Synodum veniant obedienter, & Iura Synodalia observent reverenter; non obstante aliqua occasione vel consuetudine contraria; quam corruptelam reputamus, & penitus reprobamus. Soli tamen Nobiles excipiantur, qui ad Nostram Synodum noscuntur specialiter pertinere. Si qui vero Laicorum contra hoc venire præsumperint, & in hoc, mandato ipsius Prælati five Ordinarii non obediverint, sententiam excommunicationis (quam in his scriptis in ipsos ferimus) ipso facto vel omissione incurrant, & excommunicati singulis diebus Dominicis & Festivis per Plebanos eorum & alios, prout hoc Prælati ipsi expedire videbitur, usque ad satisfactionem condignam, publice nuncientur. Si vero multitudo Parochiæ fuerit in causa seu in culpa, locus ille, in quo Synodum vel Iura Synodalia impediri contingit, sit, ipso facto, Ecclesiastico suppositus Interdicto: quod non relaxetur, nisi de hoc satisfactum fuerit competenter. Nobilibus vero, ne huiusmodi Synodos vel Iura Synodalia impediant, sub pena Excommunicationis lætæ sententiæ firmiter prohibemus.

*Nobiles
Synodo E-
piscopali
subjecti.*

XV. Ut Prælati Iurisdictione sua libere utantur, in terminis, eorum Iurisdictioni subjectis.

SEd, ne delicta seu commissa subditorum maneant impunita, & ex hoc tribuatur audacia delinquendi; statuimus, ut Prælati, in terminis, eorum Iurisdictioni subjectis, sua Iurisdictione libere utantur, tam in Correctione, quam in Iudicio & Animadversione, ac aliis, quæ ad hoc videbuntur expedire; nec in his alter ab altero impediatur, sed juvetur. Et, si aliquæ sententiæ à Prælati in suum subditum propter ipsius excessus prolatae fuerint, illæ sententiæ ab aliis Prælati inviolabiliter usque ad satisfactionem condignam observentur, & etiam executioni, si opus fuerit, demandentur.

XVI. Ut Iudices Ecclesiastici fraudem in iudiciis suis non committant.

ITem statuimus, ut iudices Ecclesiastici, in iudiciis five causis, Officium suum (solum Deum & iustitiam præ oculis habentes) fideliter exequantur: & si scienter per gratiam vel per sordes aliquam partium in causis contra iustitiam læserint, præter poenas, à jure statutas (quibus subiaceant,) ipso facto incurrant

sententiam excommunicationis, à Nobis latam in his scriptis; & nihilominus per Superiorem contra eos, si opus fuerit, ad graviora procedatur.

XVII. Ne iudices Ecclesiastici se de causis, ad forum seculare spectantibus, intromittant.

STATUIMUS & hoc, ut de causis, ad forum seculare spectantibus, Iudices Ecclesiastici se nullatenus intromittant; sed, quam cito inter litigantes de hoc exceptum fuerit coram ipsis Iudicibus Ecclesiasticis; & ostensum, sicut de jure fuerit faciendum, causam ad Iudicem secularem remittere non postponant.

XVIII. Contra impediētes Ecclesiasticorum Iudicum iurisdictionem, & executionem sententiarum.

NE vero Iurisdictionem Iudicum Ecclesiasticorum, five Ordinarii fuerint five delegati, à secularibus Iudicibus vel personis impediri, & ex hoc (sicut à pluribus intentatur) dissolvi contingat nervum Ecclesiasticæ disciplinæ: statuimus, ut nullus secularium, five Nobilibus fuerit, five alter qualiscunque, Ecclesiasticorum Iudicum iurisdictionem in citationibus, monitionibus, denunciationibus, executionibus ac aliis modis, quibus Iurisdictione Ecclesiastica exercetur, per se vel per alium impediat aliquatenus vel retardet; & qui contra hoc ausu temerario venire præsumperit, & monitus ab Ordinario vel Delegato, intra septem dies à tempore monitionis factæ non destiterit omnino, nec revocaverit; si quid in præjudicium præmissorum attentaverit, sententiam Excommunicationis (quam in his scriptis ferimus in huiusmodi præsumptores) incurrat ipso facto. Quam Excommunicationem si per quindecim sequentes dies contumaciter sustinuerit, ex tunc, si Nobilis aut Dominus est, terra ipsius & districtus, si quem habet, sit, ipso facto, Ecclesiastico suppositus Interdicto: & nihilominus in loco, ubi, faciens impedimentum prædictum vel procurans, domicilium habuerit, cessetur à Divinis, quousque impedimentum sit revocatum, & alias legitime satisfactum.

XIX. Contra eos, qui Clericos, non sine violenta manuum injectione, capiunt & detinent.

QVia vero in tantam vesaniam plerumque prorumpit quorundam perversitas perverlorum, ut ausu sacrilego Clericos & Ecclesiasticas personas, non sine violenta manuum injectione, damnabiliter capere, & captivos execrabiliter detinere, non formident: statuimus, ut Clericorum captivatores, quicumque fuerint aut cujuscunque dignitatis aut conditionis,